



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Quæstio XL. In Tit. XL. De Consecratione Ecclesiæ, Vel Altaris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

c. super. 22. h. t. ex quo præterea deducitur, quod consuetudo vicinorum locorum in dubio sit servanda, ubi non adest particularis, & specialis, ut notat Barbola in dict. c. Super n. 2. cum Boë-

rio, Cavalerio, Rebuffo, & aliis ibid. relatis. Dici etiam hoc loco posset de jure visitandi quibus competat? & quorum locorum? sed de hoc infr. V. titulum. 26. supr. de Relig. Domibus.



QUÆSTIO XL. IN TIT. XL. DE CONSECRATIONE ECCLESIE, VEL ALTARIS.

3481 **I**N hoc titulo non est sermo de consecratione Eucharistica, seu Sacramentali, quam facit Sacerdos in sacrificio, vi verborum, nomine, ac in persona Christi panem & vinum transubstantiando in corpus, & sanguinem Christi, DEI ac Domini nostri; sed de illo actu, quo res aliqua DEO dicatur: hinc universim consecratio hic idem est, ac solemnis DEO dedicatio: & quamvis propriissime consecrari dicatur Episcopus: Ordinari vero Clericus. c. 2. §. diebus. de feriis: tamen consecrationis appellatione comprehenditur etiam ordinatio quorumcunque ordinum c. penitentes, dist. 55. &c. nulli, dist. 54. imò consecrandi verbum potest etiam competere monialibus, c. sanctimonialis, dist. 23. Ecclesie porro fundatæ, constructæ, ac doratæ, secundum antiquam Ecclesie consuetudinem consecrari solent; ritus autem, consecrandi Ecclesie, habetur p. 2. Pontificalis Romani sub Clem. VIII. postea recogniti ab Urbano VIII. Consecratio igitur Ecclesie, vel altaris, est solemnis ejus dedicatio, facta Deo à legitimo Ministro, cum intentione canonica & intervenitu debita materia, ac forme: ut constabit ex seqq.

ARTICULUS I.

De Consecratione Ecclesie.

3482 **A**ctum consecrandi Ecclesiam, esse actum ordinis Episcopalis; non autem inferioris, deducunt aliqui ex c. Nemo. 9. dist. 1. de Consecrat. ibi: nemo Ecclesiam ædificet, antequam Episcopus civitatis veniat, & ibidem crucem figat, publicè atrium designet, & ante præveniat, qui ædificare volet, que ad luminaria, &

ad custodiam, & ad stipendia custodum sufficiant: & ostensa donatione, si domum ædificet, & postquam consecrata fuerit, atrium ejusdem Ecclesie sancta aqua conspergat, deinde ex c. nullus 15. ibi: nullus Presbyter missas celebrare præsumat, nisi in sacris ab Episcopo locis, qui sui particeps de cætero voluerit esse sacerdotis: ex neutro tamen solidè hoc sequitur, cum c. Nemo (quod desumptum est ex CC. Aurelianensi) loquatur de his, quæ faciendæ sunt ante ædificationem; & c. Nullus (quod est Sylvestri Papæ in generali Synodo dicentis) missam non esse celebrandam in loco ab Episcopo non sacro.

Videtur tamen rectè colligi ex c. 3483 Aqua. 9. h. t. ubi Gregorius IV. Astoricensi Episcopo scribens, ait: *Aqua, per Episcopum benedicta, Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum, non negamus; per Sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes, non obstante consuetudine provincie Bracharen. (qua dicenda est potius corruptela) quia, licet Episcopus committere valeat, quæ jurisdictionis existunt: quæ ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare.* Quod autem mandantibus Episcopis super reconciliatione factum est, hætenus per eisdem, misericorditer toleramus.

Ex hoc c. deducitur. 1. quòd reconciliare Ecclesiam (intellige consecratam, propter seqq.) non possit ab Episcopo committi simplici Sacerdoti, nimirum non Episcopo; cum sit ordinis Episcopalis, ut dicitur in textu; bene tamen alteri Episcopo: per dict. c. Aqua, ibi: *reconciliari posse per alium Episcopum non negamus; an autem Summus Pontifex,* possit

possit committere simplici Sacerdoti reconciliationem Ecclesiæ per aquam ab Episcopo benedictam: dubitari potest; nam quæ sunt ordinis Episcopalis, non Episcopo committi non possunt: Affirmat tamen Wagnereck in Exegeſi ad c. *Aquan*. i. ubi dicit. per simplices Sacerdotes id fieri non posse, nisi ex commissione Pontificis; pertinet enim hoc ad potestatem ordinis Episcopalis, (ut dicit Pontifex) saltem secundario, id est, non jure divino alioqui nec Pontifex id simplici Sacerdoti posset demandare) sed positivo Ecclesiastico. Ex hoc autem sequitur à fortiori, si actus reconciliandi Ecclesiam est actus ordinis Episcopalis, magis eisdem ordinis esse actum consecrandi. Sed V. dicenda paulò post n. 3518.

3485 Deducitur 2. Ministrum Ordinarium pro consecratione Ecclesiæ, esse Episcopum; nam aliis Episcopo inferioribus id non competere, habetur ex decreto Calixti II. Papæ in c. *Interdicimus*. 10. 16. q. 1. ibi: *interdicimus, etiam Abbatibus, & Monachis, publicas penitentias dare, infirmos visitare, & unctiones facere, & missas publicas cantare, Chrisma, & oleum, consecrationes altarium; ordinationes Clericorum ab Episcopis accipiant, in quorum Parochiis manent, intellige jure ordinario, secus est ex Pontificio privilegio, juxta dicta num. præcedent.* Hoc quidam Neotericus h. t. § 3. n. 4. (nimirum Ordinarium Ministrum hujus consecrationis esse Episcopum consecratum) probat ex c. *Nemo*. 14. & c. *Nullus*. 25. dist. 1. de Consecrat. sed in hac dist. c. 14. non est capitulum *nemo*; nec in 25. *nullus*; illud enim in ea distinctione est 9. & alterum 15. ut constat ex n. 3482.

3486 Consecratio porro, de qua hic agimus, fieri debet solemniter (nimirum juxta formam ab Ecclesia præscriptam) à proprio Episcopo, jure ordinario. Fieri autem potest, quolibet die, etiam profano, ex c. *tua*. 2. h. t. ubi Innocentius III. Tornacensi Episcopo, respondemus, inquit, quod in Diocesi tua licet tibi Ecclesiis dedicationem impendere tam diebus Dominicis, quam privatis; sed non nisi Episcopo missam celebrante, idque ex præcepto, & consuetudine Ecclesiæ Romanæ ex c. *Omnes*. 3. dist. 1. de Consecrat. ibi: *omnes Basilicæ cum missa debent semper consecra-*

ri. Sic Hyginus Papa dicit. c. *ad omnes*; & c. *De Fabrica* 24. ibid. ubi Vigilus Papa ad Eucherium Episcopum, ibi: *et ideo, si quæ Sanctorum basilica à fundamentis etiam fuerit innovata, sine altaris motione sine aliqua dubitatione, cum in ea fuerit missarum solemnitas celebrata, totius consecrationis sanctificatio implebitur; Si verò Sanctuaria, quæ habebat, ablata sunt, rursus eorum expositione, & missarum solemnitate, reverentiam sanctificationis accipiet; si autem missa tunc omitteretur, consecratio illicita foret, non tamen invalida; sic Azor p. 2. Instit. moral. l. 9. c. 4. q. 2. his præmissis.*

Quæstio cit. 1. an Ecclesia semel consecrata, debeat, aut possit iterum consecrari? 2. quod non, loquendo regulariter, per c. *Ecclesiis* 20. dist. 1. de consecr. desumptum ex CC. Nicæno, ibi: *Ecclesiis semel Deo consecratis, non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exusta, aut sanguinis effusione, aut ejusdem semine polluta fuerint: quia sicut infans à quocumque Sacerdote in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti semel baptizatus, non debet iterum baptizari: ita nec locus Deo dicatus, iterum consecrandus est, nisi propter eas causas, quæ superius nominavimus, si tamen fidei sanctæ Trinitatis tenuerint: qui cum consecraverunt; excipe tamen, nisi omnino non constet de facta consecratione, vel de ea merito dubitetur c. *Ecclesiæ* 18. dist. 1. de consecr. Ecclesiæ, vel altaria; quæ ambigua sunt de consecratione, consecrantur. 2. nisi passa sit execrationem, de quo infra.*

Quæstio est. 2. an Ecclesia, nec dum dotata, consecrari possit? 2. in c. *Nemo*. 9. dist. 1. de consecratione, de quo supra n. 3485. statui, prius illi constituendam dotem competentem, quæ ad liminaria, custodiam, & ad stipendia custodum sufficiant; atque adeo, si in fundatione, vel constructione, hoc omisum sit, non debere prius consecrari per c. *Cum scilicet*. 8. h. t. ubi Honorius III. scribens Reginz Hungariz, ait: cum ex relatione Capituli Oradiensis nobis innoverit, quod eorum feceris Ecclesiam consecrari; profecto speramus, quod Zelus ille, qui te ad ejusdem Ecclesiæ consecrationem induxit, te quoque, ut eadem dotem

dotem conferas, debeat animare; & quidem, cum non sit Ecclesia nisi de dote ei provisum fuerit, consecranda, eò liberalius ad dotandum prædictam Ecclesiam aperire manus tua munificentie debes; quoad hoc fortius, tanquam ex debito jam tenetur.

3489 Ex hac. deducitur, dotem Ecclesie dandam esse ab eo, qui eam fundavit, construxit, & consecrari fecit; sic Lambertinus de jure patron. l. 1. p. 2. q. 5. a. 10. hinc nullus debet dedicare, seu consecrare Ecclesiam aliquam, nisi fuerit antea eidem Ecclesie assignata dos competens, c. nemo de consecrat. dist. 1. ubi gloss. penult. imò, consecrantem, Ecclesiam adhuc indotatam, teneri de suo ei providere deducunt complures ex c. cum sicut cit. sicut, qui aliquem ordinavit sine titulo, teneri ei providere de sustentatione congrua per C. cum secundum 16. de præbend. Ab hoc onere dotis, ante consecrationem constituendam, excipiunt aliqui Ecclesias Regularium Mendicantium, quæ sine dote prius constituta ædificari possunt, & Ecclesias in Monasteriis, annuos redditus habentibus; sic Azor cit. p. 2. l. 9. c. 3. q. 7. & alii.

3490 Quæstio est 3. quanta esse debeat dos Ecclesie constituenda? R. de hoc agi l. q. 2. c. placuit, quod desumptum est ex CC. Bracarensi, ubi dicitur: placuit, ut quoties ab aliquo fidelium ad consecrandas Ecclesias Episcopi invitantur, non quasi ex debito munus aliquod à fundatore requirant: sed si ipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit, non respuat: si verò aut paupertas illum, aut necessitas retinet, nihil exigatur ab illo. Hoc tamen unusquisq. Episcoporum meminerit, ut non prius dedicer Ecclesiam, nisi antea dotem basilicæ, & obsequium ipsius, per donationem chartula confirmatum, accipiat. Nam non levis culpa est ista temeritas, si sine luminariis, vel sine substantiali sustentatione eorum, qui ibidem servituri sunt, tanquam domus privata, consecratur Ecclesia. Ex quo communiter deducunt, ut dos sit competens, requiri, quòd sustentationem Presbyteri, seu Parochi, cum uno Clerico Ministro, si sit Ecclesia Parochialis; vel Capella cit. c. Nemo junct. gloss. V. Custodum: non re-

quiri tamen, quòd dos in principio constituta, sufficiat etiam ad hospitalitatem exercendam, & jura Episcopalia solvenda: Hostiens. in cit. c. Cum sicut V. Consecranda; Azor. cit. cap. 3. q. 7. contra glossam.

ARTICULUS II.

De execratione, pollutione, ac reconciliatione Ecclesie.

Supponendum, Ecclesiam dici execratam, quando amisit consecrationem; pollutam, quando violatur reverentia, quæ loco, ad Dei cultum deputato, per unum, vel plures actus, in jure expressos, ut constabit ex seqq. Hinc non est idem, Ecclesiam execrari, & pollui; nam Ecclesia execrata, ut reconciliatur, indiget novâ consecratione; polluta verò, solùm novâ benedictione; hæc autem benedictio (quæ etiam vocatur reconciliatio) fieri non potest, nisi ab Episcopo c. penult. h. t. nec hoc, etiam Episcopi commissione, committi potest simplici Sacerdoti, licet aqua benedicta foret ab ipso Episcopo c. cit. idque non obstante consuetudine contrariâ. Nominè autem Ecclesie, quantum est ad hunc effectum, venit tantùm Ecclesia, h. e. locus benedictus, quo intelligitur omne illud spatium, quòd pertinet ad interiorius corpus Ecclesie à tecto interiori usq. ad pavimentum, adeoq. etiam Capellæ intra illam Ecclesiam; non autem, Sacristia, Turris, Camera adherentes Ecclesie, tectum exterius, & spatium intra illud, nec locus infra Ecclesiam, nisi forte constitutus sit ad sepulturam; ita Zoësius h. t. n. 3. his præmissis:

Quæstio. 1. est, quot modis polluat Ecclesia? R. quòd pluribus; primò enim polluitur Ecclesia, seu violatur, quoad reverentiam debitam loco, ad Dei cultum deputato. I. per homicidium directum, vel indirectum, voluntarium, & injuriosum, in ea commissum c. 4. h. t. ibi; proposuisti: quòd venientibus ad Ecclesiam sancti Jacobi, ex diversis regionibus, peregrinis, & volentibus aliis ab aliis, per contentiones, & rixas, altaris de nocte custodiam vindicare, homicidia contingunt fieri interdum, & aliquando cubera inferrentur: Fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd, manente Ecclesia.

fiat, & altari, ipsa reconciliari poterit per aquam cum vino, & cinere benedictam: & hoc verum est, licet fiat sine sanguinis effusione v. gr. suffocatione, vel etiam alicujus suspensione, etiam eâ digni; quia per hoc non cavetur injuria loci facti, quæ hic maximè consideratur. Ad hanc Ecclesiæ violationem, qua postea reconciliari debet, reducitur lethale vulnus, in Ecclesia datum, etiam citra sanguinis effusionem, si vulneratus ex eo moriatur, etiam extra Ecclesiam; quia tota actio injuriosa, per se illativa mortis, & Ecclesiæ injuriosa, facta est intra Ecclesiam; quamvis hoc neget Zoësius hîc n. 4. sed textus clarè loquitur etiam de vulnere.

3493

Alter casus, quo polluitur, seu violatur Ecclesia, fit per humani sanguinis effusionem in ea factam voluntariè, cum injuria; c. fin. h. t. ibi: *si Ecclesia non consecrata, cujuscumq. semine fuerit, aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur, ne divine laudis organa suspendantur: est tamen, quam citius fieri poterit, consecranda, & c. Unico, eod. in 6. ibi: si Ecclesiam, pollui sanguinis effusione contingat, ipsius cæmeterium, si contiguum sit eidem, censetur esse pollutum: unde, antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis sepeliri: Secus si remotum fuerit ab eadem. Non si quoq. in casu converso sentimus, ut videlicet polluto cæmeterio (quamvis Ecclesia contiguo) debeat Ecclesia reputari polluta; ne minus dignum, majus; aut accessorium, principale ad se trahere videatur. Non unum, sed plura cæmeteria esse noscuntur, quæ, quamvis sibi coherentia, parietate tamen medio se junguntur; ideòq. violato eorum altero, alterum (licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus) non propter hoc reputabitur violatum. Ut autem verificetur effusio sanguinis, cum denoter aliquam sanguinis abundantiam, non sufficiunt solum pauca gutta, ut notat Abbas in cit. c. *proposuisti* num. 3. addit Pirhing h. t. n. 11. ex Diana p. 6. tr. 6. resol. 24. non pollui Ecclesiam, si etiam copiosus sanguis fluat ex naribus, propter percussione alapa, seu pugno, quia nares sunt organum, undè sanguis facile emittitur; sed quid obstat, quò minus verum sit, in Ecclesia factam esse voluntariè, ac*

injuriôsè humani sanguinis effusionem? hæc autem polluitur Ecclesia ex dict.

3494

Not. præterea, homicidium, vulnerationem, vel sanguinis humani effusionem in Ecclesia, debere esse voluntariam, adeòque si fiat solum casus non pollui Ecclesiam; sic glossa in c. *unic.* h. t. in 6. V. *sanguinis*; deinde, debere esse injuriosam, seu injustam; relatè nimirum ad eum, qui patitur; ubi tamen aliqui censent, per ejusmodi actus pollui Ecclesiam, esto fiant sine injuria personæ, quæ v. g. occisa est, vel vulnerata; si sint contra reverentiam loco sacro debitam, ut, si quis Reus mortis, in Ecclesia suspenderet; hinc dicunt, ad actionem, quæ polluitur Ecclesia, sufficere, quòd facta sit voluntariè vel cum injuria alterius, vel cum irreverentia loci sacri, vel utroque modo. Quando autem dicitur effusione humani sanguinis pollui Ecclesiam, non interest, an tangat, vel non tangat pavimento Ecclesiæ; cum hoc stare possit, & tamen sanguis effundi, impedita ejus defluxione in terram.

3495

Tertius casus, quo polluitur Ecclesia, fit per humani seminis effusionem nimirum voluntariam, publicam, ac illicitam, factam intra Ecclesiam; constat ex c. fin. h. t. de quo supra; ubi tamen nota, cum dicitur: *illicitam*, intelligi non tantum illum actum Venereum, de se illicitum, prout importat peccatum carnis per fornicationem, adulterium molliem; sed etiam prout importat actum de se licitum (v. g. conjugalem copulam) citra causam excusantem, intra Ecclesiam exercitum; quia est contra reverentiam, loco sacro debitam. De adulterio extra Ecclesiam commisso habetur etiam in c. *significasti*. 5. de Adulteriis, ubi, postquam, innouit, adulterium intra Ecclesiam commissum esse à quodam Sacerdote cum conjugata, Alexander III. mandavit, *Ecclesiam per aspersionem aquæ benedictæ reconciliari*; idem de hoc tertio casu habetur in c. *Ecclesiis*. 20. dist. 1. de Consecrat. superius relato; excipe tamen casum, quo duo conjuges, diu in Ecclesia clausi esse cogentur, cum periculo pollutionis, si tunc deberent abstinere ab usu conjugali; nam hoc, ad conservandam vitam animæ, non foret contra legem cæteròquin ejusmodi

modi actus Veneros intra Ecclesiam prohibentem; sicut nec sanguinis effusio conservandæ vitæ corporali necessaria. Sed & illud observandum est, Ecclesiam non pollui seminis humani effusione intra ipsam facta, quamdiu occulta est; nam Ecclesia non judicat de occultis; & reconciliatio Ecclesie in casu capituli significasti, decreta fuit, quando adulterium illud publicè detectum fuit; unde, si factum occultè, deinde fiat publicum, solùm, à tempore publicitatis, reconciliationis necessitas oritur.

3496 Quartus casus est, quo polluitur Ecclesia, si in ea sepultus sit defunctus in excommunicatione; c. *Consulisti*. 7. h. t. ubi Innocentius III. Episcopo Senno- nensi rescribit: *Cæmeteria, in quibus ex- communicatorum corpora sepeliri contin- git, reconcilianda erunt aspersione aquæ solemniter benedicta, sicut in dedicati- onibus Ecclesiarum fieri consuevit*; ex quo à fortiori; sequitur idem dicendum, si sepultus sit intra ipsam Ecclesiam; cum irreverentia sit major, quamvis verum sit, polluto cæmeterio, non hoc ipso pollui Ecclesiam; quin hoc procedat è converso, ut pollutâ Ecclesiâ eo ipso etiam pollutum sit cæmeterium; cujus ratio sumitur ex n. 3493. Not. autem per *excommunicatum* hîc non intelligi, nisi *excommunicatum nominatim, & denuntiatum*; vel *notorium Clerici percussorem*; non autem *toleratum*, saltem post CC. Constantiense de quo plura lib. 5. tit. 39. de sentent. excommunicat. Not. 2. cum effectus, quòd ex tali sepultura polluat Ecclesia, vel cæmeterium, reducat in decretum pœnale, quo excommunicati in pœnam excluduntur à sepultura Ecclesiastica, decretum non debere extendi ultra expressâ; consequenter non pollui Ecclesiam per sepulturam defuncti *nominatim interdicti*; cum de illo textus pœnalis non loquat; sic Layman l. 3. Summæ, tr. 5. c. 5. n. 8. Zoësius hîc n. 11.

3497 Quintò polluitur Ecclesia per factam in ea sepulturam hominis non baptizati, pagani, vel infidelis; habetur c. 27. & 28. dist. 1. de consecr. ubi solùm dicitur. 1. quòd dato tali casu in ejusmodi Ecclesia non liceat missas celebrare, usque dum reconcilietur. 2. quòd prius debeat

Tom. III.

cadaver sepulti pagani foras projici, & Ecclesia purgari, radendo parietes, & tigna; sed quòd dicitur de *radendo pariete*, intellige, si casus contigit in Ecclesia non consecrata; si verò consecrata sit, sufficit eorum dealbatio, ne consecratio perdat. V. Layman cit. n. 15. Quando autem mater fidelis cum fœtu, sine baptismo in utero mortuo, in Ecclesia sepelitur, ea per hoc non violatur; quia fœtus tunc est pars corporis materni; sic Azor p. 2. l. 9. c. 7. q. 1. Layman cit. c. 5. n. 8. secus est de fœtu separato à Matre; Zoësius cit. n. 14.

Sextò, Ecclesiam etiam pollui si ab Episcopo notoriè excommunicato consecrata sit, vel benedicta) censet Sylvest. V. *Benedictio*. qu. 6. sed verius est oppositum; cum hujus in jure nullum sit fundamentum, & lex pœnalis ad casum non expressum extendi non debeat; sic Layman cit. cap. 5. n. 9. Suarez tom. 3. D. 81. Sect. 4. & alii, his præmissis.

3498 Quæstio altera est, quot modis Ecclesia excretur, seu consecrationem amittat: hac enim amissâ dicitur *ex- creta*; ea porrò consecratio consistit in exteriori parte, seu superficie parietum, qui chrismate liniuntur apposito signo crucis; ex hoc colligitur Ecclesiam ex- crari, si igne sic exusta sit, ut parietes interiores sint devastati, aut ex toto, vel majori parte abradi c. *Ecclesiis* 20. dist. 1. de consecrat. 2. si *totum* Ecclesie ædificium, sive casu fortuito, sive con- sulto destruat, præsertim quoad pa- rietes sic, ut de novo fieri debeant c. 24. de Consecrat. dist. 1. junct. gl. V. *Inno- vata*; non autem, si parietes non sint læsi, sed tantùm alia v. g. ædificia lignea, & reparentur solùm per partes, & suc- cessivè c. 6. h. t. ibi: *lignis ædificiis Ec- clesie vestra casu consumptis parietibus ta- men illæsis, ac mensâ principalis altaris in sua extremitate modicam passa fracturam*, inquit: *tux duximus respondendum, quòd cum parietes in sua integritate per- manserint, & tabula altaris mota, vel enormiter lesa non fuerit, ob causam præ- dictam nec Ecclesia, nec altare debet denuò consecrari.*

Quæstio tertia est, quis sit effectus, cum Ecclesia excretur, vel polluitur? 3500

12. cum constet ex dictis num. 3482.

Kkk kk

nulli

nulli licere missas celebrare, nisi in sacris ab Episcopo locis; ubi Ecclesia fuerit execrata, vel polluta, priusquam reconcilietur, in ea non licere celebrare missas, & peragere divina ministeria, quæ vel in constitutione sua, vel sacrorum canonum dispositione fieri non debent, nisi in locis sacris; quo habetur, effectum execrationis, vel pollutionis Ecclesie, esse suspensionem divinorum, duraturam usque ad reconciliationem; & quidem, per consecrationem novam (quando Ecclesia execrationem passa est) vel benedictionem, si polluta fuerit. Unde Suarez tom. 3. D. 81. Sect. 4. docet, ex suo genere, & per se loquendo, peccatum mortale committi, in Ecclesia violata missam dicendo, antequam purificetur; rationem reddit; quia pollutio Ecclesie nihil est aliud, quam quadam prohibitio, jure Ecclesiastico introducta, ut nec sacrum, nec alia divina officia fiant, in hujusmodi Ecclesia, quando aliquid ex prædictis delictis, seu impedimentis intervenit; ut constat ex cit. canonibus; hoc autem præceptum est justum, & grave, pertinetque ad reverentiam Ecclesiarum: ergo obligat sub mortali; sic ille.

3501 Cæterum, loco cit. tradit, ex D. Thoma, de licentia Episcopi posse fieri sacrum in Ecclesia violata, ante reconciliationem, quia, si Episcopus potest dare licentiam, in loco non consecrato sacrificandi; ergo & in loco nondum reconciliato; quia in c. *missarum*, absolute dicitur, *missam posse dici (ubi Episcopus permiserit)* & in c. *Hic ergo* de consecrat. (*ubi Episcopus jusserit*) ergo sub hac generali regula comprehenditur etiam Ecclesia polluta, si Episcopus in ea jusserit, vel permiserit celebrari. Addit verò Soto (& videtur quidem verum) ut hoc justè fiat, requiri gravem causam: quia est dispensatio quædam in lege Ecclesiastica, & gravi. Et tanta potest esse necessitas, ut, si non posset accessiri Episcopus, etiam sine facultate ejus id liceat; quia Ecclesiasticum præceptum non obligat cum tanto rigore. Atque his modis excusantur, qui in regionibus Septentrionalibus sacrificant in locis, in quibus sepulti sunt hæretici; quia, vel necessitate coguntur, quia

alibi commodè sacrificare non possunt; vel etiam Episcopi videntes, & consentientes, facultatem præbere censentur; ita Suarez loc. cit.

Questio est 4. *an Sacerdos, contra ca. 3502 nones, celebrans in Ecclesia violata, incurrat aliquam penam?* dubitatio maxime procedit de irregularitate? *hanc ratione hujus delicti præcisè, immediatè, ac proximè, non incurri; ita Suarez cit. & apud eum Sylvester V. Consecratio. 2. q. 9. & alii, dicens, id expressè declaratum in c. 15. qui 18. de sentent. excommunic. in 6. ibi: 15. qui in Ecclesia sanguinis, aut seminis effusione polluta, vel qui presentibus majori excommunicatione innodatis, scienter celebrare presumit: licet in hoc temerariè agat, irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in jure) laqueum non incurrit.*

Dices: licet non sit expressum sub 3503 specifica ratione; tamen est expressum sub generali ratione *interdicti*; nam (ut ibidem dicitur §. 15. *verò qui*) *qui celebrat in loco interdicto, irregularis fit.* Sed Ecclesia violata est interdicta: ergo *interdictum*. N. ma: nam, quando dicitur, celebrantem in loco *interdicto*, irregularem fieri, ut habetur in dict. c. 15. *is qui §. is verò*, sermo est *de interdicto*, quod *verè*; ac *proprie est censura Ecclesiastica*; at prohibitio Ecclesiastica, ne celebretur in Ecclesia violata, non est, verè, ac *proprie censura Ecclesiastica*; aliàs etiam *interdictum*, ne fiant nuptiæ in certis casibus, aut temporibus, esset censura *proprie dicta*: ergo.

Si dicas: ergo saltem incurret irregularem *mediatè*. Nam, ut tradit Sylvester cit. cum nonnullis aliis, qui celebrat in Ecclesia violata, manet ipso jure suspensus; ergo si post hanc suspensionem rursus celebrat, fieri irregularem, *mediatè*; probat consequ. ex c. *Episcoporum* 8. de privil. in 6. ubi interdictur ingressus Ecclesie Regularibus, vel Secularibus (quamvis exemptis) qui scienter celebrant, vel celebrari faciunt divina in civitatibus, vel locis interdictis? *interdictis*? *N. illarum*; ad prob. N. ant. quamvis enim verum sit, suspensum, durante suspensione, peragentem divina, à quorum usu activo suspensus est, evadere irregularem; negatur tamen cele-

ARTICULUS III.

De consecratione, execratione, pollutione,
ac reconciliatione Altaris?

ANte resolutionem notandum, *Altare* omnino requiri, ut licite sacrificium celebretur, ut dicemus in tit. seq. *Altare* dicitur ab altitudine, quasi *alta ara*; quia, ut notat Suarez D. 81. Sect. 3. locus sacrificii, in altum erigi solet; tum propter significationem; tum propter sacrificandi commoditatem. *Altare* enim, ut ex variis tradit Gavantus ad Rubric. Missal. part. 1. tit. 20. significat. 1. mensam Domini; 2. crucem; 3. Christum, per quem sacrificia à Deo acceptantur; 4. Ecclesiam spiritualementem; 5. ejus cornua sunt quatuor mundi plagæ. *Altaris* usum desumptum ex sacra Scriptura Genes. 8. & 1. Corinth. 9. Sixtus 2. decrevit. *Ara* (sumpta pro *Altari*) est proprie illa superior pars altaris, quæ *area plana* vocari potest. Hinc nomen habet ab *area*, vel ab *ariditate*, quam ignis affert, vel ab ardore ignis, quo sacrificia cremantur, juxta Gemmam. lib. 1. cap. 12. 2. Nominatur multipliciter ab Ecclesiasticis Authoribus: scilicet *Viaticum*, à Bonifacio VIII. c. ult. de privil. in 6. Dicitur *Antimensæ*, à Nicephoro apud Belingerum lib. 3. cap. 30. & Balsamine ad Concil. 6. can. 31. *tabula itineraria*, ab ordine Romano: & *tabula Altaris*, in Concil. Triburiensi; & c. *concedimus*, de consecrat. dist. 1. præcipitur in Rubr. 20. Missalis, ut *ara sit lapidea, ab Episcopo consecrata, altari inserta, & tam ampla, ut Hostiam, & majorem partem calicis capiat.*

Not. 2. altaria esse in duplici genere; quædam sunt *stabilia*, quæ ita loco, & basi, cui insunt, affixa sunt, ut prius erigantur, ac solidentur, quàm consecrationem accipiant; proindeque eam non amittunt per levem fractionem; c. *lignis*, & c. *quod in dubiis*, de consecrat. Eccles. Sed vel per fractionem enormem, vel per solam amotionem à basi, cui affixa sunt. Quædam sunt *mobilia*, alio nomine *portabilia*; alia *Viatica*, quæ ita fabrefiunt, ut possint transferri in diversa loca: & ideo *per*

celebrantem in Ecclesia violata suspensionem incurrere; cum suspensio in dict. c. *Episcoporum* imponatur iis solum, qui faciunt divina loco interdicto, per censuram Ecclesiasticam; non autem nudam prohibitionem, qualis est hoc, quam importat violatio Ecclesie, ut jam dictum est num. præced.

3505 Quæstio est 5. *qualiter Ecclesia execrata, vel polluta reconcilianda sit?* 12. si verè sit *execrata*, prout jam exposuimus, esse reconciliandam novâ consecratione; si autem solum *polluta*, per aspersionem aquæ solenniter benedictæ ab Episcopo; prima pars colligitur ex c. 1. h. t. & c. *quod in dubiis* 3. eod. ubi textus loquens de altari consecrato, & postea moto, vel enormiter fracto, ait: *debet non immerito consecrari*; item ex c. *lignis* 6. eod. relato superius: altera verò pars ex c. *proposuisti* 4. eod. ibi: *reconciliari poterit per aquam cum vino & cinere benedictam*; c. *Consulvisti* 7. eod. ibi: *reconcilianda erunt aspersione aquæ solenniter benedictæ, sicut in dedicationibus Ecclesiarum fieri consuevit*; c. *si Ecclesia* 10. eod. ubi de Ecclesia etiam non consecrata, si violata sit, dicitur: *aquâ protinus exorcizata lavetur*; quibus autem ceremoniis fiat solennis consecratio, qualiter hæc differat à simplici benedictione Ecclesie, videri potest in Pontificali, seu ordine Romano.

3506 Quoniam autem superius n. 3491. diximus ex c. *Aqua*, Ecclesiam non posse reconciliari per simplicem *Sacerdotem*, etiam si adhiberet aquam per Episcopum benedictam; neque hoc illi ab Episcopo committi posse, dubitari potest, an hoc procedat in casu Ecclesie pollutæ non solum quando consecrata est; sed etiam solum benedicta? 12. intelligendum de casu, quo Ecclesia consecrata violatur; non autem si tantum benedicta; ita Suarez cit. tom. 3. p. 5. & ult. D. 81. Sect. 4. §. *Secundo quæret*, ubi ait: quod Sacerdos, si, dum celebrat, Ecclesia violetur post inceptum canonem, finito sacrificio, ipse possit statim eam reconciliare juxta c. *si Ecclesia* 10. h. t. per aspersionem aquæ benedictæ, & alias breves & faciles ceremonias, prout habetur in Ceremoniali Ecclesiastico.

Tom. III.

Kkk kk 2

se consecrantur, proindeque solum depertunt consecrationem, quando ita franguntur, ut majori parti non possit imponi calix cum patena, quæ hostiam continet.

3509 Not. 3. inter paramenta, seu ornatum Altaris, esse *sigillum*, alio nomine *sepulchrum*, quo intelligitur parvus locellus in ipsa mensa, vel basi altaris, in quo condita sunt reliquiæ. De illo habetur mentio c. 1. de consecrat. Eccles. his verbis. *Si Altare motum fuerit, aut lapis ille solummodo superpositus, qui sigillum continet, confractus, &c.* De hoc sigillo latè meminit Sylvester V. *Altare num. 1.* Ubi affirmat id requiri, ut altare sit legitimum. Videtur id suaderi ex c. *placuit*, de consecr. dist. 1. & Synodo 7. generali, can. 7. Ubi præcipitur deponi, *qui Templum consecravit sine sanctis reliquiis.* Verùm Hugo, & Alensis apud Sylvest. citat. & Sotus in 4. dist. 13. quæst. 2. artic. 3. dicunt, consuetudinem contrarium evicisse: eò, quòd in tanta altarium multitudine impossibile sit reliquias ubique habere: spectare tamen adornatum altaris, uti & mappæ, pallium, candelabra, tabella, secretarum cullinus, & manutergium, de quibus p. 1. Rubr. tit. 20. his præmissis:

3510 Quæstio est 1. an, ut altare, super quo celebratur, debeat esse consecratum? 2. qualiter execratur? 3. qualiter polluat? 4. quomodo reconoscitur? 5. an fracto altaris sigillo, vel amissis ex eo reliquiis, manente lapide ceteroquin integro, altare non censetur execratum? & pro consecratione, sicut ante adhiberi possit? 6. an ex uno altari portatili consecrato, possint fieri duo distincta, si lapis consecratus tantus sit, ut ambæ partes ejus singulæ capiant pedem calicis cum patena & hostia? Ad. 1. æ. altaria omnino consecrari; & hoc fieri posse, non tantum consecrando unum in una Ecclesia (ut velle videntur quidam hæretici) sed etiam plura in eadem, per c. 5. h. r. ibi: *noveris igitur, quòd plura, in Ecclesia una, altaria, & plures Episcopi simul, poteris consecrare, & quidem in eadem missa; debent autem altaria esse consecrata, saltem quoad mensam superio-*

rem, quæ sit tantæ capacitatis, seu quantitatis, ut possit capere pedem calicis, & hostiam cum patena; *mobilia* per se consecrantur; fixa verò, non per se, sed quatenus basi affixa sunt, quorum saltem ara, seu tabula superior lapidea sit; sic Layman lib. 5. Summæ, tract. 5. cap. 6. num. 3. Nam, ut habetur cap. 31. dist. 1. de consecr. *altaria, si non fuerint lapidea, chrysmatis unctione non consecrantur.*

Ad 2. æ. altare tam *fixum*, quam *mobile*, dici *execratum*; seu consecrationem amisisse, 1. si mensa, seu lapis superior sic frangitur, ut quod integrum remanet, non amplius capiat pedera calicis, & patenam cum hostia saltem potiori parte c. 3. h. r. ibi: *altare vero, in quo tabula, cui consecrationis benedictio, Pontificali ministerio, adhibetur, mota, vel enormiter fracta fuerit, debet non immeritò consecrari, & c. 6. eod. ibi: cum tabula altaris mota, vel enormiter laesa non fuerit, ob causam prædictam, nec Ecclesia, nec altare debet denuò consecrari; nisi nec si fractura sit modica;* sic Layman cit. c. 6. n. 4. adeoque non, licet illius cornua frangantur, manente integro reliquo corpore; Pirhing h. r. num. 23. Deinde, altare *fixum* amittere consecrationem, si mensa superior, seu lapis consecratus amoveatur à basi, vel inferiori structura, dicitur in c. *si motum*. 19. dist. 1. de consecrat. ibi: *si motum fuerit altare, denuò consecratur Ecclesia; si parietes mutantur, & non altare, salibus tantum exortizetur: Si homicidio, vel adulterio Ecclesia violata fuerit, diligentissimè expurgetur; & denuò consecratur;* quo casu indiget novâ consecratione; non autem si lapis cum basi cohzrens, manente horum conjunctione, transferatur.

Not. autem execrato altari, non ideo centeri execratam Ecclesiam, c. *ad hæc* 1. h. temp. ibi: *ad hæc si altare motum fuerit, aut lapis ille, solummodo supra positus, qui sigillum continet, confractus, aut etiam diminutus, debet denuò consecrari: propter hoc verò nequam reiterare suam consecrationem Ecclesia consuevit, licet id quidam Canonis innuere videantur; & ideo dictum in c. *si motum*. dist. 1. de consecrat. si mo-*

rum fuerit altare, consecratur Ecclesia, Ecclesiam sumere intelligitur pro altari, ac si diceret, consecratur altare; uti nec econtra, execrata Ecclesia, execratum censetur altare; sic Pirhing h. t. num. 28. sed hoc videtur intelligendum de ara mobili, nam polluta Ecclesia; etiam censetur polluta omnia ejus altaria fixa, non autem portabilia in ea existentia; & econtra; sic Abbas in c. proposuisti 4. h. t. num. 10. & alii. Sylvester V. altare qu. ult. &c. sed, de execratione, non est idem; & ex hoc patet etiam responsio ad 3. Altare, polluitur, & reconciliatur iisdem modis, quibus violatur, & reconciliatur Ecclesia; sic Miranda in Manuali Prælat. tom. 2. quæst. 39. art. 7. ex quo patet ad 4. ad 5. 10. probabile esse, quod possit; sic Tamburinus l. 1. Methodi celebrandæ missæ c. 5. §. 1. num. 15. & alii ibid. unde censet Pirhing num. 26. ad legitimam formam consecrationis non esse necessarium, ut in consecratione, altari, in sigillo, seu sepulchro, reliquiæ sanctorum apponantur.

3513 Dicit autem signanter, ad legitimam formam, propter c. placuit, 26. dist. 1. de consecrat. ubi dicitur: placuit, ut altaria, qua passim per agros, & per villas, tanquam memorie Martyrum, construuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquia Martyrum condite probantur, ab Episcopis, qui locis eisdem præsent, si fieri potest, evertantur. Si autem hoc, propter tumultus populares, non finitur; plebes tamen admonentur, ne illa loca frequentent; ut, si rectè sapiunt, nullà ibi superstitione devicti teneantur. Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acciperetur, nisi ubi corpus, aut reliquia certa sunt, aut origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissimà origine traditur. Nam que per somnia, & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum, ubicunq; constituuntur altaria, omnino reprobentur.

3514 P. Suarez cit. contra sententiam, quæ negat, esse de essentia consecrationis, ut in altari, seu lapide consecrato, reliquiæ Sanctorum ponantur, ex aliorum mente, opponit, contrarium esse statutum in c. placuit, de quo num. præced. quas aliqui volunt requiri sal-

tem requiri in consecratione altaris fixi; imò Durandus, in Rationali lib. 1. cap. 7. num. 23. addit, requiri reliquias, vel corpus Christi, seu particulam hostiæ consecratæ. Sed ad hoc meritò respondet Suarez cit. hoc indecens videri, & improbable, ut respondisse fertur Innocentius Papa; & docent Turcrem. cum aliis in dict. c. Placuit, & Abbas in c. r. de consecrat. Ecclesie vel altaris. Unde subjungit: reliquias non esse de essentia consecrationis, ut ex usu constat: & fortasse nunquam fuisse: nam illud c. Placuit, aliam expositionem habere potest: quam supra tradidimus; &, quamvis demus illud tunc fuisse præceptum, non tamen inde fit, fuisse de substantia consecrationis: præceptum autem jam cessavit: vel quia cessavit ratio, & occasio ejus, quæ fuit ad resistendum hæreticis, honorem debitum reliquiis Sanctorum oppugnantibus: tum etiam, quia in tanta templorum, & altarium multitudine, jam id commodè impleri non potest.

ARTICULUS IV.

De Consecratione, pollutione, & reconciliatione Cæmeterii.

Per Cæmeterium, intelligitur locus, 3515
 auctoritate Episcopi designatus ad corpora fidelium sepelienda; hinc eodem modo consecratur, vel benedicitur, quo Ecclesia; unde Ecclesia consecratâ, etiam Cæmeterium ei conjunctum censetur consecratum; quia simul cum Ecclesia eodem ritu consecratur, ut constat ex Pontificali Romano; non autem si non sit ei contiguum, seu conjunctum. Et ideo etiam polluta, vel execrata Ecclesia, cæmeterium quoque illi conjunctum pollutum, vel execratum censetur; c. Unic. h. t. quia sic sequitur naturam principalis; non tamen è converso violato cæmeterio, etiam Ecclesia violata censetur; quia principale non sequitur naturam accessorii: si verò non sit Ecclesie conjunctum, sed separatum, violatâ Ecclesia non censetur violatum illud, quia tunc non est accessorium.

Quamvis autem cæmeterium pol- 3516
 luatur, & violetur iisdem modis, quibus

bus Ecclesia c. *Unic.* h. t. in 6. & c. *Consulisti* 7. h. t. & pollutâ Ecclesia, etiam censeatur violatum *cœmeterium illi conjunctum* (ur tradit Azor cit. q. 2.) ac eodem modo reconcilietur, quo Ecclesia; quia si per Episcopum (sicut Ecclesia) solenniter est consecratum, & violetur, reconciliari debet ab Episcopo per aquam ab eo solenniter benedictam c. *Consulisti*. h. t. si tamen ab Episcopo non est solenniter consecratum, sed tantum benedictum, vel ejus autoritate deputatum ad sepulturam fidelium, à Parocho, Rectore illius Ecclesie, aquâ ab eodem Parocho benedictâ, reconciliari potest c. *fin.* h. t. Layman l. 5. tr. 5. c. 5. n. 12.

3517 Si cœmeterium pollutum sit non per se, sed ob pollutam Ecclesiam cui conjunctum est, reconciliatâ Ecclesiâ, eo ipso etiam reconciliatum est cœmeterium; sic Barbofa l. 2. Juris Ecclesiastici cap. 9. num. 11. quando autem excrucatur Ecclesia, vel cœmeterium, destructis; vel conbassis parietibus, non propterea amittitur benedictio, sed tantum consecratio; Benedictio enim solo inhaerere censeatur, quod semper idem manet; sic Layman cit. c. 5. n. 15.

3518 Præter hæc not. cum quandoque contingat, in cœmeteriis fieri quosdam actus, quibus pollueretur Ecclesia; si in ea facti essent, cujusmodi sunt illi, quos retulimus supra; consequenter fieri de-

beat reconciliatio, posse in contingetia facti quæstionem moveri, à quo valeat reconciliari? ex. gr. in cœmeterio, conjuncto Ecclesie, fusus est injuriosè sanguis humanus, & copiosus, ex injusta percussione; quærebatur, an Rector ejus Ecclesie per aquam solenniter benedictam ab Episcopo, vel certè, etiam non benedictam ab Episcopo, sed ab ipso Ecclesie Rectore, vel alio Sacerdote posset reconciliari?

Pro resolutione distinguendum est inter cœmeterium, *accessoriè consecratum*, vel *tantum benedictum*, nimirum ratione Ecclesie consecrata, vel benedicta; vel seorsim. 2. inter pollutum ratione Ecclesie pollutum, seu violatum; vel pollutum, & violatum in se, ac non ratione principalis, cui adjunctum est: quo posito 1. si cœmeterium sit violatum, seu pollutum ratione pollutæ vel violatæ Ecclesie consecrata, cui est conjunctum, reconciliari non posse nisi per Episcopum, ex num. 348; si autem ratione pollutæ vel violatæ Ecclesie tantum benedictæ sine ulla consecratione, reconciliari posse ab ipso Rectore Ecclesie aquâ benedictâ ab ipso Rectore Ecclesie, ex dict. superius; id, quod etiam procedit de cœmeterio polluto in se, solum benedictio, vel deputato ad sepulturam Fidelium; reliqua ex dictis deduci possunt.



QUÆSTIO XLI.

IN TIT. XLI. DE CELEBRATIONE MISSARUM, SACRAMENTO EUCHARISTIÆ, ET DIVINIS OFFICIIS.

3519 **H**ic titulus tria puncta continet; primum, de celebratione missarum; alterum, de Sacramento Eucharistiæ; postremum, de divinis officiis; pleraque tamen sunt, quæ pertinent solum ad forum internum, & tractari solent à Theologis Moralibus, in tract. ad præcepta primæ Tabulæ: de Sacramento autem Eucharistiæ agunt Theologi Scholastici

specialiter: & ideo in hoc titulo (tantum continentem pauca spectantia ad forum externum) parum immorantur Canonistæ; trademus tamen ea, quæ in hoc titulo de singulis tanguntur.

ARTICULUS I.

De Celebratione Missarum.

In c. *quidam* 2. h. t. agitur de Missis 3520
notariis, & dicitur, quosdam Laicos habere